



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de
Montisfalisci, M.DCC.XVII.**

Sanctissimo Domino Nostro Clementi Papæ XI. Pontifici Maximo Franciscus
Fargna Felicitatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72191)

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO
C L E M E N T I
P A P Æ X I .
P O N T I F I C I M A X I M O

FRANCISCUS FARGNA
Felicitatem.



UM nihil mihi foret antiquius,
BEATISSIME PATER, quàm aliquid
de mei ingenii tenuitate *VESTRÆ SANCTITATI* de-
votum facere, has qualescunque elucubrationes
publicæ luci expositurus, *Tibi* sistere operæ pre-
tium

tium duxi. Etenim nullum alium meliorem Patronum Commentaria Canonica de Jurepatronatus nancisci poterant, quàm Pontificem Maximum, Sacrorum Canonum Defensorem acerrimum, Ecclesiasticæ libertatis constantissimum vindicem, Fidei Catholicæ amplissimum decus, & ornamentum. Hoc autem indubiè non est à veritate alienum: Testantur namque tot Sapientissimæ Sanctiones, quibus SANCTITAS VESTRA, tot hæresum monstra turgidis virus evomentia pectoribus debellavit, ac Petri Naviculam tot Aquilonibus impetitam, tot tenebrarum potestatibus agitatam invictissimo zelo defendit, ac roboravit; Testantur tot, in Pannonia adversus Christiani nominis hostes, Victoriæ, quas orationibus, & ærariis non semel evacuatis, mirabiliter peperit; Testantur tot reliqua præclarissima gesta, quæ in vindicandis Christianæ Reipublicæ juribus Te verè Patrem faciunt, atque Ecclesiæ universalis Patronum; Verumtamen neque hæc tuarum est Summa virtutum: O quantum debent Bonæ Artes Tibi Sapientissimo Principi! Ad pristinum splendorem reductæ, tam præsidium susceperere, quàm incrementum. Alma Urbs, sive Templorum majestate, sive Platearum nitore, sive cæterarum ædium ornamento; de Tua munificentia superbit, ac gloriatur.

*tur. Academiae erectae, Bibliothecae vel fundatae,
 vel tot Codicibus Graecis, Hebraicis, Syriacis,
 Arabicis auctae, Typographiae restitutaesatis super-
 que innuunt, Principem omni eruditione refertum,
 quam ardentissime virtuti, & gloriae patrocinari.
 Quodque magis admiratione dignum: omnia Bel-
 li temporibus. Tunc equidem ob tot, tantasque ca-
 lamitates, oppressiones, incommoda, quibus Chri-
 stiana Respublica adhuc afficitur, debuerant Bonae
 Artes aut perire, aut torpescere; sed tantum fuit
 erga illas SANCTITATIS VESTRAE patrocinium, ut re-
 viviscerent, ac flourerent, cum se crederent miser-
 rime interituras. Quinimmo id sub una Principe
 splendoris assequute sunt, quod vel plurimum conti-
 nuato presidio non facile potuissent. Invieta de-
 nique animi Tui constantia, qua Viris bonum
 certamen certantibus, fidem servantibus, cur-
 sumque feliciter consummantibus, murum factis
 pro Domo Israel, justus Judex, ad Sacrum
 Cardinalatus Apicem nuper evehens, Justitiae
 coronam reddidisti, toto Terrarum Orbi Te-
 stimonium perhibet, Te non humanis rationibus,
 nec Carni, nec Sanguini conquievisse. Hinc cla-
 rissime liquet quam justissime librum de Jure-
 patronatus immortalis Tuo Nomine decorandum
 excogitarim. Accedit etiam quod cum primitiae
 Deo*

Deo debeantur, primitias laboris mei Tibi
 ejus Vicario in Terris offerre non dubitavi.
 Licet autem eloquentiæ candore sint destituta,
 candor tamen animi mei, reverentia, & hu-
 militas, illas de excelso Solio, super Thronos
 Principum posito, respicere benignissimè Te ne-
 quaquam dedignaturum confidit. Excipe igitur,
 BEATISSIME PATER, Clementiâ illâ, quâ Pontifi-
 ciam temperas Majestatem, opus tenue, sed
 devotum, ac in Foro versantibus non ingra-
 tum, ut spero, nec inutile futurum. E Pon-
 tificio etenim Throno Canones processere, ad
 Pontificium pariter Thronum Commentaria
 jure ac meritò accedunt, horumque Auctor ad
 SANCTITATIS VESTRÆ Pedes Sanctissimos provo-
 lutus, illos quàm humillimè exosculatur.